

Oxford University Press, Asher House, London E.C. 4

GLASGOW NEW YORK TORONTO MELBOURNE WELLINGTON

BOMBAY CALCUTTA KARACHI CAPE TOWN

Geoffrey Cumberlege, Publisher to the University

# TITI LVCRETI CARI DE RERVM NATVRA LIBRI SEX

*Edited with*

*Prolegomena, Critical Apparatus  
Translation, and Commentary*

*by*

CYRIL BAILEY

NON. FELLOW OF BALLiol COLLEGE

VOLUME I

PROLEGOMENA, TEXT AND  
CRITICAL APPARATUS  
TRANSLATION

FIRST PUBLISHED 1947

Reprinted photographically in Great Britain  
at the University Press, Oxford, 1950  
from corrected sheets of the first edition

OXFORD

AT THE CLARENDON PRESS

## SIGLA

- O* = Codex Leidensis 30 (Oblongus)  
*O:* = corrector eiusdem aequalis  
*O:* = corrector eiusdem Saxonius  
*O:* = correctores eiusdem recentiores  
*Q* = Codex Leidensis 94 (Quadratus)  
*Q:* = corrector eiusdem (seculi xv)  
*Q:* = correctores eiusdem recentiores  
*G* = Schedae Gottorpianae  
*G* = corrector curundem  
*V* = Schedae Vindobonenses (I)  
*U* = Schedae Vindobonenses (II)  
*L* = Codex Laurentianus xxxv. 30 (Niccolianus)  
*L. 29, 37, d.* = Codices Laurentiani xxxv. 29, 31, etc.  
*A* = Codex Vaticanus 3276  
*B* = Codex Vaticanus Barberinus lat. 154  
*Mon.* = Codex Monacensis  
*C* = Codex Cantabrigiensis  
*[P]* = consensus codicum APCL I. 37, Poggiani lectionem indicans  
*Ital.* = codices vel editiones Itali seculi xv vel xvi  
] = lectio Leidensis in textu conservata.

Codices Leidensis longum textus fundatum statui. In apparatu critico, si quando illi inter se differunt, utriusque lectionem plerumque memorari. Correctorum emendationes, codicum aliorum lectiones, grammaticorum citationes, editorum conjecturas latens rursum, punctum cui ipse in textum recepti aut editores alii proferunt. Codicum errata minora saepius praetermissi.

# LVCRETI DE RERVM NATVRA

omnia diluviare ex alto gurgite ponti,  
neququam, quoniam verrentes aequora venti  
deminuunt radiisque retexens aetherius sol,  
et siccare prius confidunt omnia posse  
quam liquor incepti possit contingere finem.

390

tantum spirantes aequo certamine bellum  
magnis <inter se> de rebus cernere certant,  
cum semel interea fuerit superantior ignis  
et semel, ut fama est, umor regnarit in arvis.  
ignis enim superat et lambens multa perussit,  
avia cum Phaethonta rapax vis solis equorum  
aethere raptavit toto terrasque per omnis.

39

at pater omnipotens ira tum percitus acri  
magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu  
deturbavit equis in terram, Solque cadenti  
obvius aeternam succepit lampada mundi  
disiectosque rededit equos iunxitque trementis,  
inde suum per iter recreavit cuncta gubernans,  
scilicet ut veteres Graium cecinere poetae.

400

quod procul a vera nimis est ratione repulsum.  
ignis enim superare potest ubi materiai  
ex infinito sunt corpora plura coorta;  
inde cadunt vires aliqua ratione revictae,  
aut pereunt res exustae torrentibus auris.

405

umor item quondam coepit superare coortus,  
ut fama est, hominum multas quando obruit urbis.  
inde ubi vis aliquā ratione aversa recessit,  
ex infinito fuerat quaecumque coorta,  
constiterunt imbres et flumina vim minuerunt.

410

Sed quibus ille modis coniectus materiai  
fundarit terram et caelum pontique profunda,  
solis lunai cursus, ex ordine ponam.  
nam certe neque consilio primordia rerum  
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt  
nec quos quaeque darent motus pepigere profecto,  
sed quia multa modis multis primordia rerum  
ex infinito iam tempore percita plagis  
ponderibusque suis consuerunt concita ferri  
omnimodisque coire atque omnia pertemptare

10

393 inter se hic add. Lachmann, post de rebus *L*, ante magnis *Merrill*  
superat *Lachmann*: superauit *OQ* lambens *Q<sup>1</sup>*: ambens *OQ*: ambiens *L*:  
ardens *Polle* 397 petontana rapax *O*: petontanapax *Q* 399 tum *l 31*:  
cum *O*: com *Q* 400 phaetonta *O*: haetonta *Q* fulminis *O<sup>3</sup>*: fluminis *OQ*  
405 Graium *l 31*: gratum *OQ* 410 aut *O*: ut *Q* 412 multas] vitas *Purmann*  
urbis *B Pontanus*: undis *OQ*

quaecumque inter se possent congressa creare,  
propterea fit uti magnum vulgata per aevum  
omne genus coetus et motus experiundo  
tandem convenient ea quae convecta repente  
magnarum rerum fiunt exordia saepe,  
terrai maris et caeli generisque animantium.

430

Hic neque tum solis rota cerni lumine largo  
altivolans poterat nec magni sidera mundi  
nec mare nec caelum nec denique terra neque aer  
nec similis nostris rebus res ulla videri,  
sed nova tempestas quaedam molesque coorta  
omnigenis e principiis, discordia qtorum  
intervalla vias conexus pondera plagas  
concursus motus turbabat proelia miscens,  
propter dissimilis formas variasque figuras  
quod non omnia sic poterant coniuncta manere  
nec motus inter sese dare convenientis.  
diffugere inde loci partes coepere paresque  
cum paribus iungi res et discludere mundum  
membraque dividere et magnas disponere partis,  
hoc est, a terris altum secernere caelum,  
et sorsum mare, uti secreto umore pateret,  
sorsus item puri secretique aetheris ignes.

435

[440]

[441]

[442]

[443]

[444]

[445]

[437]

[438]

[439]

440

[443]

[444]

[445]

[437]

[438]

445

[439]

Quippe etenim primum terrai corpora quaeque,  
propterea quod erant gravia et perplexa, coibant  
in medio atque imas capiebant omnia sedis;  
quae quanto magis inter se perplexa coibant,  
tam magis expressere ea quae mare sidera solem  
lunamque efficent et magni moenia mundi.  
omnia enim magis haec e levibus atque rutundis  
seminibus multoque minorib' sunt elementis  
quam tellus. ideo per rara foramina terrae  
partibus erumpens primus se sustulit aether  
ignifer et multos secum levis abstulit ignis,  
non alia longe ratione ac saepe videmus,  
aurea cum primum gemmantis rore per herbas  
matutina rubent radiati lumina solis  
exhalantque lacus nebulam fluiisque perennes,

450

455

460

428 omne genus Lachmann: omnigenus O<sup>1</sup>: omnigenos O<sup>1</sup>      429 convecta  
Lachmann: conuenta OQ: coniecta Martin (ex ii. 1061)      430 fiunt / 31: fiunt  
OQ      433 altivolans Macrobius: alte volans OQ      437-45 hunc versuum  
ordinem restituit Reisacker      437 omnigenis e O: omnigenus e Q: omne genus  
de Lachmann      438 vias Q<sup>1</sup>: uia OQ      443 inde [P]: inde OQ      445  
magnas Q<sup>1</sup>: magna OQ      447 umore Q<sup>1</sup>: humor OQ      458 se L: et OQ  
460 videmus] videntur Lachmann post 460 lacunam indicavit Brieger      461-2  
post 464 transposuit Giussani      463 exhalantque OQ: exalare Lachmann

LVCRETI DE RERVM NATVRA

ipsaque ut interdum tellus fumare videtur;  
omnia quae sursum cum conciliantur in alto,  
corpore concreto subtexunt nubila caelum. 463  
sic igitur tum se levis ac diffusilis aether  
corpore concreto circumdatus undique *flexit*  
et late diffusus in omnis undique partis  
omnia sic avido complexu cetera saepsit.  
hunc exordia sunt solis lunaeque secuta, 470  
interutrasque globi quorum vertuntur in auris;  
quae neque terra sibi adscivit nec maximus aether,  
quod neque tam fuerunt gravia ut depressa sederent,  
nec levia ut possent per summas labier oras,  
et tamen interutrasque ita sunt ut corpora viva 475  
versent et partes ut mundi totius exstent;  
quod genus in nobis quaedam licet in statione  
membra manere, tamen cum sint ea quae moveantur.  
his igitur rebus retractis terra repente,  
maxima qua nunc se ponti plaga caerula tendit, 480  
succidit et salso suffudit gurgite fossas.  
inque dies quanto circum magis aetheris aestus  
et radii solis cogebant undique terram  
verberibus crebris extrema ad limina in artum, 485  
in medio ut propulsa suo condensa coiret,  
tam magis expressus salsus de corpore sudor  
augebat mare manando camposque natantis,  
et tanto magis illa foras elapsa volabant  
corpora multa vaporis et aeris altaque caeli 490  
densabant procul a terris fulgentia templa.  
sidebant campi, crescebant montibus altis  
ascensus; neque enim poterant subsidere saxa  
nec pariter tantundem omnes succumbere partes.  
Sic igitur terrae concreto corpore pondus 495  
constitit atque omnis mundi quasi limus in imum  
confluxit gravis et subsedit funditus ut faex;  
inde mare inde aer inde aether ignifer ipse  
corporibus liquidis sunt omnia pura relicta,  
et leviora aliis alia, et liquidissimus aether 500  
atque levissimus aerias super influit auras,  
nec liquidum corpus turbantibus aeris auris  
commiscet; sinit haec violentis omnia verti

468 *flexit* Lachmann: saepsit *OQ* (ex 470) 472, 476 *interutrasque*] inter-  
utraque Lachmann 482 *salso suffudit* Lambinus: *salso suffudit O*: *salsos*  
*offudit Q*: *salso suffudit O* 484 *radii Q*: *radiis O* 485 *in artum*  
*Munro*: *partem OQ*: *raptim Bentley*: *fartam Martin*: *a limini' parte Lachmann*  
491 *densabant*] *densebant Lambinus* 500 *leviora B*: *leuior OQ* 503  
*commiscet Naugerius*: *commisci OQ* haec] *hic Bentley*

LVCRETI DE RERVM NATVRA

propterea non est oneri neque deprimit auras;  
ut sua cuique homini nullo sunt pondere membra  
nec caput est oneri collo nec denique totum  
corporis in pedibus pondus sentimus inesse;  
at quaecumque foris veniunt impostaque nobis  
pondera sunt laedunt, permulto saepe minora.  
usque adeo magni refert quid quaeque queat res.

540

sic igitur tellus non est aliena repente  
allata atque auris aliunde obiecta alienis,  
sed pariter prima concepta ab origine mundi  
certaque pars eius, quasi nobis membra videntur.  
praeterea grandi tonitru concussa repente  
terra supra quae se sunt concutit omnia motu;  
quod facere haud ulla posset ratione, nisi esset  
partibus aeriis mundi caeloque revincta.

550

nam communibus inter se radicibus haerent  
ex ineunte aevo coniuncta atque uniter apta.  
nonne vides etiam quam magno pondere nobis  
sustineat corpus tenuissima vis animai

555

propterea quia tam coniuncta atque uniter apta est?

denique iam saltu pernici tollere corpus

560

quid potis est nisi vis animae quae membra gubernat?

iamne vides quantum tenuis natura valere

possit, ubi est coniuncta gravi cum corpore, ut aer

coniunctus terris et nobis est animi vis?

Nec nimio solis maior rota nec minor ardor

esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.

565

nam quibus e spatiis cumque ignes lumina possunt

adicere et calidum membris adflare vaporem,

nil illa his intervallis de corpore libant

flammarum, nil ad speciem est contractior ignis.

proinde, calor quoniam solis lumenque profusum

570 [573]

pervenient nostros ad sensus et loca fulgent,

[570]

forma quoque hinc solis debet filumque videri,

[571]

nil adeo ut possis plus aut minus addere vere.

[572]

[pervenient nostros ad sensus et loca fulgent]

575

lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans

545 magni Ital.: magi OQ queat ed. Veronensis: quaeat OQ: aveat Lachmann: obeat Munro: alii alia 549 videntur] videtur Brieger 553 aerius AB: aeri OQ 555 apta Pontanus: aucta OQ 558 apta Q<sup>i</sup>: rapta OQ animi Lachmann

559 pernici Pontanus: pernice OQ 560 quid Faber: quis OQ 570 [573] animi Lambinus: adicere OQ 564 nimio . . . ardor] minimo . . . ardens Bockemüller

567 adicere Lambinus: adicere OQ 568 nil illa his Bernays: nihil nisi OQ: nil illi his Cartault: nil magnis Martin libant Marullus: librant OQ 570 [573] huc transiuit Marullus 571 fulgent] mulcent Lachmann: tingunt Lambinus

572 filumque Turnebus: illumque O: ilumque Q 574 = 571 (570) scil. editores

tum tibi terra dedit primum mortalia saecula.  
multus enim calor atque umor superabat in arvis.  
hoc ubi quaeque loci regio opportuna dabatur,  
crescebant uteri terram radicibus apti;  
quos ubi tempore maturo patefecerat aetas  
infantum fugiens umorem aurasque petessens,  
convertebat ibi natura foramina terrae  
et sucum venis cogebat fundere apertis  
consimilem lactis, sicut nunc femina quaeque  
cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis  
impetus in mammae convertitur ille alimenti.  
terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile  
praebebat multa et molli lanugine abundans.  
at novitas mundi nec frigora dura ciebat  
nec nimios aestus nec magnis viribus auras.  
omnia enim pariter crescunt et robora sumunt.

Quare etiam atque etiam maternum nomen adeptam

terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit  
humanum atque animal prope certo tempore fudit  
omne quod in magnis bacchatur montibu' passim,  
aeriasque simul volucris variantibu' formis.  
sed quia finem aliquam pariendi debet habere,  
destituit, ut mulier spatio defessa vetusto.  
mutat enim mundi naturam totius aetas  
ex alioque aliis status excipere omnia debet,  
nec manet ulla sui similis res: omnia migrant,  
omnia commutat natura et vertere cogit.  
namque aliud putrescit et aevo debile languet,  
porro aliud succrescit et <e> contemptibus exit.  
sic igitur mundi naturam totius aetas  
mutat et ex alio terram status excipit alter,  
quod tulit ut nequeat, possit quod non tulit ante.

Multaque tum tellus etiam portenta creare  
conast mira facie membrisque coorta,  
androgynem, interutasque nec utrum, utrumque remotum,  
orba pedum partim, manuum viduata vicissim,

*805 post 796 collocavit Polle primum] passim Lachmann 809 aetas  
Marullus: aetas OQ: aëstus Lachmann: auctus Merrill 812 et l 31: ut 00  
823 animal Marullus: anima OQ: animas O<sup>t</sup>: animans Wakefield 824 magnis  
l 31: magni OQ 825 aeriasque Marullus: aeriaeque OQ 833 succrescit  
Lachmann (in commentario): crescit OQ: clarescit Lachmann: succedit (ex 1278)  
Merrill e add. Marullus 836 tulit ut Beniley: potuit OQ: pote uti  
Lachmann: quiuit ut Ernout nequeat] nequit, ut Munro 838 facie l 31:  
facit OQ 839 androgynem] androgynum Lachmann interutraque (in-  
terutasque Munro) nec utrum, utrumque Lachmann: inter utras nec utramque  
(ut utrumque O) OQ: interutras nec utrumque, utrumque Diels*